



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod sine omni deformitate resurgent. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

cens, cogitantibus resurrectionem carnis, & ideo non credētib⁹ occurrit infirmitas. Sed quēadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli igne liquefceret, vel contereretur in puluerē, vel cōfunderetur in massā: & eam vellet artifex rursus ex illius materia & quantitate reparare, nihil inter-esset ad eius integritatē, quę particula materię cũ mēbro statuz redderetur, dum tñ totum ex quo cōstituta fuerat, restituta resumerēt. Ita Deus mirabiliter atq; ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra extiterat, eam mirabili celeritate restituet: nec aliquid attinebit ad ei⁹ redintegrationē, vtrum capilli ad capillos redeāt, & vngues ad vngues: an quicquid eorū perierat, mutetur in carnē, & in partes alias corporis reuocetur: curāte artificis prouidentia, ne quid indecens fiat. Indecorum quippe aliquid ibi nō erit: sed quicquid ibi futurū est, hoc decebit: quia nec futurū est, si non decebit.

Quod sancti sine omni deformitate resurgent.

*Aug. in eodem Enchi-
cap. 91.*

Hoc autem in corporibus sanctorum intelligendum est, de quibus consequenter adiungit. Resurgent ergo sanctorum corpora sine vilo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate: in quib. tanta facilitas quanta felicitas erit: propter quod & spiritalia dicta sunt cum proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Ex his apparet, quod vna erit ætas omnium resurgentium, scil. iuuenilis: statura vero diuersa scil. quam quisque habuerat in iuuenili ætate, vbi erat habiturus, si ante est defunctus. Nec de substantia, de qua hominis caro creatur, aliquid peribit: sed omnium particularum ante dispersarum collectione, reintegrabitur naturalis substantia corporis. Sanctorum quoque corpora sine omni vitio fulgida, sicut sol, resurgent, præcis cunctis deformitatibus, quas hic habuerunt.

Matth. 13. f

Si mali tunc habeant, quas hic habuerunt deformitates.